 uno autem istorum monasteriorum ego frater Udalricus fui, in quo
 erant bene tria milia religiosorum habentes undecim milia ydolorum,
 quorum unum, quod minus aliis videbatur, erat bene ita magnum sicut
 15 sanctus Cristoforus apud nos depingi solet. Ego quoque illa hora qua
 deos suos pascebant ivi ad videndum. Et vidi quod omnia cibaria que
 porrexerunt ipsis ydolis erant calidissima ita quod fumus ascendebat ad
 ydola vel ciborum vapor. Et hoc reputabant esse cibum ydolorum, et

17. serpentes *in margine in S* 21. possint *correx*: possit S ~ que in hoc mundo pos-
 sit reperiri] alßindert anderswo in der welt, da jch gewesn pin T: que sunt in mun-
 do W

XXI 2. Zayton *correx* iuxta T (Zaiton) et W (Zayton): Zayron S 8. et octo uncie
 om. T 9. grosso *correx*: grossum S 17. fumus *correx*: fomos S

tunc residuum comederunt ipsi totum.

Hec etiam terra est in se de melioribus una que iam inhabitatur. Multa quoque alia mirabilia illic vidi, que non possunt omnia iam scribi. 20

XXII. <D>e hac contrata recedens veni versus orientem ad unam civitatem nomine Fuzo, que in circuitu continet bene triginta miliaria. In qua sunt maiores galli qui sunt in mundo. Galline vero sunt albe ut nix, non habentes pennas sed solum lanam ut ovis sunt portantes. Hec civitas multum pulchra est sita supra mare. 5

De hac recedens, ivi per duodeviginta dietas per multas terras et civitates aliaque diversa multa. Dum autem sic irem, veni ad unum magnum montem, in cuius latere omnia animalia ibi habitantia erant nigra, et homines et mulieres ab hiis diversum modum vivendi habent, et extraneum ab illis qui habitant in alio latere montis. Omnesque mulieres nupte ibi magnum barile de cornu in capite portant, ut cognoscantur quod nupte sunt. 10

Hinc transiens per alias duodeviginta dietas per multas civitates et terras, veni ad unum magnum flumen et applicui ad quandam civitatem, que per transversum istius fluminis habet unum pontem. In capite eius in domo cuiusdam hospitis fui hospitatus. Qui michi volens complacere dixit: «Si tu vis bene videre piscari, tunc veni mecum», et sic duxit me super pontem istum. In quo cum sic essem, aspexi et vidi in suis barcis merges multas super perticas alligatas, quas omnes hospes ligavit circa gulam uno filo, ne aliquos pisces possent deglutire. Et in una barca posuit tres magnas cistas, unam ab uno capite, aliam ab alio capite navis, tertiam vero in medio. Dum autem sic fecisset, tunc solvit omnes merges que se statim sub aqua submerserunt, et sic pisces multos capiebant, quos ipsimet in cistas importabant. Unde in parva hora omnes ille ciste erant plene piscibus. Postquam igitur implete essent, hospes meus dissolvit fila ab eorum gulis ut ipsi se ipsos etiam cibarent, et tunc submergebant se iterum, et se piscibus satiabant. Quod cum factum esset, 15 20 25

XXII 7. que *inter lineas* in S 18. quo *correx*: qua S 27. satiabant *conieci iuxta* T (gnug azzn) et W (pascereantur): sociabant S

ad suas perticas revertabantur et ipse eas alligabat sicut prius. Ego quoque de illis piscibus manducavi.

30 <T>rasiens inde per multas dietas aliud vidi modum piscandi, quia vidi quosdam homines nudos habentes unam tinam in una barca cum aqua calida, et singuli eorum habebant post collum unum saccum et mergabant se in aqua, et pisces manibus capiebant habundanter, ponentes eos in saccis suis. Et cum ascendebant in barca eos ponebant, postea in tinam
35 aqua calida plenam intrabant et tunc ibant alii facientes sicut primi.

XXIII. Hinc recedens veni ad quandam civitatem nomine Cansaye, idest ‘civitas celi’. Hec civitas maior est quam aliqua alia in hoc mundo, quoniam in circuitu continet bene centum miliaria. Et in ipsa non est spanna terre que non habitatur valde bene; et est civitas ultra quam
5 dicere audeam populosa, quoniam rara est domus que non sit multis hospitibus singulariter decem vel duodecim focum habentibus occupata. Hec civitas etiam habet burgos magnos, habentes maiorem gentem quam ipsa civitas <tenet>.

Hec etiam civitas habet duodecim portas principales, prope quarum
10 quamlibet forte ad octo miliaria sunt civitates maiores quam sit civitas Venetorum et Padua. Inde itur bene per sex vel septem dies per unum illorum burgorum, et tamen videbit modicum permeasse. Hec civitas est situata super mare sicut civitas Venetorum. Ipsa quoque habet plures quam duodecim milia portuum, in quibus singulis morantur custodes ipsarum civitatum propter magnum canem.
15

A latere huius civitatis labitur unum flumen, iuxta quod sita est sicut Ferraria iuxta Padum. In hac civitate habitant aliqui christiani et multi sarraceni ydolatre et sunt ibi multi homines mercatores. Et de hac civitate habet princeps eius redditus nimis multos. Ibi etiam est copia
20 omnium victualium.

Hec est civitas regalis in qua rex Manzi olim morabatur. Et in ea quatuor nostri fratres ad fidem nostram unum potentem hominem converterunt in domo cuius ego fui hospitatus. Qui dicebat michi quadam

29. manducavi] et cetera *add.* S, *quod seclusi*

XXIII 7. Hec civitas... tenet *om.* T 8. tenet *restitui iuxta* W (quam ipsa civitas tenet) 16. flumen] q, *add.* S, *cassatum*

vice: «Atha, <idest pater>, vis tu venire et videre terram?». Et ego exhibui me paratum. Ascendimus igitur unam barcam et ivimus ad quoddam magnum monasterium, de quo ipse vocavit unum illorum religiosorum dicens: «Vides hunc rabanfranchy?», idest istum virum religiosum, «iste venit unde occidit sol et nunc vadit Cambalech ad magnum canem. Rogo igitur ut sibi aliquid ostendas de quo possit dicere in patria sua». Tunc ille respondit: «Libenter», et accepit duos magnos cophinos, de micis mensarum iam repletos et fragmentis. Postea aperuit portam cuiusdam viridarii per quam intravimus. Et vidi quendam monticulum in eodem viridario, diversis arboribus plenum, et tunc accepit ille religiosus cymbalum et ipsum pulsavit. Ad cuius sonitum multa animalia <varia> et diversa ab illo monticulo descenderunt, sicut simie, cacte maymones et alia multa animalia que faciem humanam habebant, et aptabant se circa illum religiosum forte circa tria milia valde ordinate. Et tunc posuit ante ea parapsides et dabat eis comedere competenter. Finita autem illa commestione cymbalum iterato pulsavit et tunc omnia sua loca repetebant. Dum igitur hoc viderem, incepti ridere dicens: «Tu michi dicas quid hoc indicare velit». At ille respondit: «Hec animalia maxime nobilium virorum sunt anime que nos hic pascimus amore Dei». Cui ego respondi: «Hec animalia sine dubio non sunt anime, sed sunt bestie solum». Ille autem respondit: «Non est verum. Immo sicut aliquis fuit nobilis homo et nobiliter vixit sic eius anima nobile corpus subintravit et converso». Quantumcumque igitur illum vellem ab hic amovere, ipse tamen immobilis permanebat.

Si quis igitur magnitudinem huius civitatis et mirabilia ipsius enarraret, repleret unum quaternum satis magnum. Unde hec est melior civitas pro mercimoniis quod habet totus mundus.

24. idest pater *restitui iuxta* T (daß ist: vater) 32. monticulum *correxi*: montulum S
 35. varia *restitui iuxta* W (multa animalia varia et diversa): gar vil tyr T 36. que *bis* S, *quod seclusi* ~ habebant *correxi iuxta* T (habnt) et W (habebant): videbantur S 37. religiosum] va *add.* S, *cassatum* ~ tria *correxi iuxta* T (drew) et W (tria): mille S 39. cymbalum iterato pulsavit *om.* T 41. indicare *correxi iuxta* T (waß ez bedewt vnd waß ez wér) et W (indicare): dictare S 47. ab hic *in margine in* S 50. mundus] et cetera *add.* S, *quod seclusi*

XXIV. <D>e hac civitate recedens per sex dietas, veni ad aliam civitatem magnam que vocatur Chilenso. Murus huius civitatis in circuitu tenet bene quindecim miliaria. In ista etiam civitate sunt bene trecenti sexaginta pontes lapidei pulchriores de mundo. In hac civitate fuit prima sedes dignitatis Manzi, in qua ipse morari solebat. Hec bene inhabitatur a gente. Ibi etiam est maximum navigium et est bene situata, habens copiam omnium rerum bonarum magnam.

<A>b hac civitate recedens, veni ad quoddam flumen magnum, quod vocatur Thalay et est maius flumen quod sit in mundo. Nam ubi strictius est, ibi habet spatium bene septem miliariorum. Hoc flumen transit per medium terre Pigmeorum, idest Bidinorum, ubi est civitas que dicitur Chathan. Etiam est una de maioribus et pulchrioribus civitatibus que sit in mundo. Pigmei autem sunt homines in magnitudine trium spannorum; qui faciunt maiora opera gaben, idest bonbicis, quam aliqui homines qui sint in mundo. Homines autem magni etiam ibi sunt filios generantes, qui plus quam pro medietate similes illis Pigmeis sunt. Igitur numerus illorum parvorum in hac terra multiplicatur in tantum quod quasi sine numero <sunt>. Hii pigmei formosi sunt tam masculi quam femelle, secundum magnitudinem suam. Et femine nubunt masculis in quinto anno. Et hii Pigmei habent animam rationalem sicut et nos.

XXV. Dum per istud flumen Doltalay sic transivi, ivi per multas civitates et veni ad unam que vocatur Iamzai, in qua est unus locus nostrorum fratrum minorum. In hac etiam sunt ecclesie nesterinorum, idest virorum religiosorum. Hec civitas nobilis est et magna ultra modum nostrum communem et ultra quam bene credi possit. In hac civitate est copia omnium victualium maximam, et dominus huius civitatis solum de salina potest habere quasi unum thesaurum valde magnum.

XXIV 7. copiam *correx*: copia S 11. Bidinorum] Bidmein T: Biduinarum W 13. Die selbn Pigmein sind lewt , gemainchlichn pey drein spannen lankch *post* oder Bidmein land *in* T 14. gaben] gobon T: gotomim W, *scilicet cotonum* 18. sunt *restitui iuxta* W (quod sine numero quasi sunt): *non habet* T
XXV 1. Doltalay *correx* (*cf. infra*): Dothay S: *non habet* T 3. nesterinorum] Nesteriner T: nestorinorum W

In hac civitate etiam est una consuetudo: quando aliquis vult facere alicui amico vel amicis convivium vel prandium solemne, sunt tunc ibi hospitia ad hoc deputata. Dicitur hospiti: «Fac nos secundum talem modum vel talem, pro tot expensis, pro tot hominibus prandium solemne». Ad quod hospes exhibet se paratum et tunc minus expendit quam in domo sua propria. 10

Habet etiam civitas maximum navigium.

Per decem miliaria ab ipsa, in capite istius magni fluminis Doltalay, est una alia civitas que vocatur Meiszu, et hec civitas maius et pulchrius navigium habet quod potest in mundo reperiri; et omnes naves eius sunt albe ut nix zeso depicte. Et breviter loquendo esset quoddam incredibile audire huius navigii magnitudinem. 15

<A>b hac civitate recedens et per octo transiens dietas per multas terras et civitates per aquam dulcem, veni ad quandam civitatem que vocatur Lenzyn. Hec civitas est situata super flumen quoddam quod dicitur Caramoran. Hoc flumen per medium Cathay transit sicut transit Padus Ferrariam. 20

Dum igitur sic irem per hoc flumen per multas dietas versus orientem, per multas terras et civitates, veni ad unam civitatem que vocatur Suzumato. Hec civitas habet maiorem habundantiam sirici quam aliqua terra de mundo. Nam quando siricum est in magna charistia, quadraginta libre possunt haberi pro minori quam pro octo solidis venetorum. Ibiue etiam est copia omnium victualium. 25

<D>e hac civitate transiens per multas terras et civitates versus orientem, veni ad illam civitatem nobilem Cambalech, que est civitas multum antiqua et est in provincia Cathay; hanc ceperunt Tartari. 30

15. Doltalay] Daltalay T: *om.* W 16. est una *bis* S, *cassatum* ~ Meiszu] Mensy T: Mençu W 23. Caramoran *correxi iuxta* T (Caramora) et W (Caramoran): Caramoran S ~ Cathay *correxi iuxta* T (Cathai) et W (Catay): Chatanay S 27. Suzumato *correxi iuxta* T (Suzumato) et W (Suçumato): Fuzumato S ~ habundantiam] siricum *add.* S, *cassatum* 29. solidis *correxi iuxta* T (schilling) et W (solidorum): solis S ~ venetorum *correxi iuxta* T (Venediger): venatorum S

XXVI. Iuxta quam ad dimidium miliare construxerunt aliam civitatem <...>. Circuitus autem harum civitatum duarum <habet> plus quam quadraginta miliaria. In hac civitate canis magnus habet suam sedem et suum palatium magnum, cuius circuitus bene per quatuor miliaria circueunt, infra quod spatium multa alia sunt palatia pulchra. In 5 curtino huius palatii magni factus est mons unus, in quo edificatum est unum palatium pulcherrimum. Hic etiam mons arboribus est plantatus; propter quod ‘mons viridis’ nominatur. A latere huius montis, est factus lacus per quem transit pons pulcherrimus. In isto lacu sunt tot anseres silvestres et anetes et cigni quantum mirabile est videre. Unde quando dominus vult aucupari, non oportet eum exire domum suam. In hoc etiam palatio sunt viridaria plena diversis generibus bestiarum, quas potest dominus venari quando sibi placet non exeundo domum suam.

Palatium autem, in quo est sedes, est valde magnum et pulchrum; 15 cuius terra duobus passibus est elevata, et interius habet viginti quatuor columnas de auro puro. Omnes muri eius cooperti sunt pellibus rubeis, de quibus dicitur quod sint nobiliores pelles que sint in mundo. In medio autem palatii est una magna pigna, alta passibus pluribus quam duabus, que tota est de auro et lapide pretioso nomine mercadas. Ipsa 20 est tota auro ligata. In quolibet angulo ipsius est unus serpens de auro qui verberat os fortissime. Hec etiam pigna retia habet de perlis magnis, que pendent ab ea. Que retia habent latitudinem forte ad unam spannam. Per pignam autem defert potus per canales, et ibi stant vasa aurea cum quibus omnes volentes bibere bibunt. In ipso palatio sunt multi 25 pavones de auro, qui tripudiant et alis concutiunt cum aliquis alludet eis, manus suas ad invicem percutiundo. Hoc autem fit vel de arte demonis vel subtilitate hominis occulte operantis.

Quando autem ipse dominus adest, tunc sedet super suam sedem imperialem, reginaque ad sinistram cum suis dominabus et puellis. Et

XXVI 2. civitatem] gehaizzn Taido, chaw'm vber ein gútt halbew meil davon gestiff, da si von ist gewesn besezzn, doch gen si nv gar aneinander in T ~ habet *restitui iuxta* T (hatt) 6. edificatum *correxii iuxta* W (edificatum est): edificant S 14. quo *correxii*: qua S 16. columnas *correxii*: calumpnas S 19. mercadas] mertadaß T: merdicas W 22. que retia... spannam *om.* T 23. canales *correxii*: canales S ~ ibi] stabit *add.* S, *cassatum* 28. super] sedem *add.* S, *cassatum*

omnes domine de parentela sua que nupte sunt habent unum pedem 30
 hominis super caput suum, ad longitudinem unius brachii cum dimidio.
 Et sub illo pede sunt penne gruis, et totus ille pes est ornatus perlis
 magnis, ita pulchris sicut hodie in mundo possunt reperiri. A latere
 autem dextro moratur filius regis primogenitus et qui sunt de sanguine
 regio. Illic etiam sunt scriptores ad scribendum regis verba parati. Ante 35
 conspectum regis stant barones sui multique alii innumerabiles, quorum
 nullus audet loqui unum verbum nisi ab ipso domino requiratur. Ibi
 etiam stant histriones infiniti, qui tamen nichil audent inchoare nisi
 dominus magnus precipiat. Ante portam huius palatii sunt barones
 custodientes ne aliquis indignus ingrediatur, quod si aliquis attemptaret 40
 acriter verberaretur.

Cum iste dominus magnus intendit facere aliquod convivium, tunc
 tenet secum quatuordecim milia baronum cum coronis in capitibus suis,
 sibi in convivio servientes; et quilibet talem habet vestem in dorso, quod
 solum perle super vestem existentes valerent plus quam quindecim milia 45
 florenorum. Curia ipsius optime ordinata est videlicet per decenarios,
 centenarios et millenarium, quorum unusquisque servat attentissime
 ordinem et officium suum, ita quod nullatenus ibi defectus reperitur.

Ego frater Udalricus fui ibi per triennium et multotiens in festis
 domini presens fui: nam nos fratres minores in curia istius domini habe- 50
 mus locum deputatum, et nos semper oportet ire et sibi dare benedic-
 tionem nostram. Ego quoque diligenter inquirens a christianis, sarrace-
 nis, ydolatris cunctis et a nostris etiam conversis ad fidem, quorum mul-
 ti sunt barones magni in curia predicti domini magni, qui solum respi-
 ciunt personam regis. Qui omnes uno ore dicebant quod solum histrio- 55
 nes sunt bene tredecim turman. Una turma constituit bene decem milia
 histrionum. Alii sunt custodientes canes, bestias silvestres et aves et hii

36. conspectum *correx*: conspetum S ~ innumerabiles *conieci iuxta* W (innumerabiles):
 in mirabiles S 37. domino] a *add.* S, *cassatum* 41. acriter *correx* *iuxta* W: acutus S
 44. quilibet *correx* *iuxta* T (ir ieglicher) et W (quilibet): quibus S 47. centenarios]
 centurioneß T: centenarium W 55. personam *correx* *iuxta* T (vnd sind ir ígleicher
 táglich pey dem hunt) et W (aspicientes solum ad personam Regis): per mensam S
 56. tredecim (13) *in margine rescriptum* xiii in S ~ turman] turmaß T: tuman W

sunt bene quindecim turman. Medici vero, qui custodiant personam
 regis, sunt ydolatre numerus quatuor centum, christiani autem octo et
 60 unus sarracenus. Hii omnes habent a domino magno omnia necessaria
 quibus indigent. Reliqua autem familia est sine numero et mensura.

Dominus autem ille in estate moratur in quadam terra Sandum, posi-
 ta sub tramontana, que est frigidior habitabilis que hodie sit in mundo.
 In hieme vero transfert se in Cambalech. Et cum vadit de una terra ad
 65 aliam, servat hunc modum: quia quatuor habet exercitus equitum, quo-
 rum unus precedit eum ad unam dietam, alter sequitur ad unam dietam;
 alii duo vadunt a lateribus ad unam dietam, ita quod ipse cum exercitu
 vadit in medio et alii circa eum in modum crucis, et habent omnes suas
 dietas ordinatas quas non interpolant sine scitu regis. Unde ipsi possunt
 70 omnia eis necessaria reperire. Rex autem cum suo exercitu in quodam
 curru cum duabus rotis <vadit>, in quo facta est pulcherrima sella tota
 de lignis aloe et auro ornata et cum perlis magnis et pulchris et multis
 aliis lapidibus pretiosis. Quatuor quoque elephantes bene ornati ducunt
 currum, iuxta quem vadunt quatuor barones, qui vocantur zuche,
 75 ducentes et custodientes ipsum et tenentes ne rex in aliquo offendatur.
 Ducit etiam in curru suo duodecim girifalcos. Unde quando in curru
 sedet in sua cathedra et videt aliquas aves aucupandas, dimittit aliquos
 de illis girifalcis et capit illas. Item ad unius lapidis iactum nullus audet
 ad currum appropinquare, nisi sit vocatus vel ad hoc deputatus. Et sicut
 80 iste rex magnus vadit in gradu et ordine suo, ita mulieres etiam vadunt
 et illud etiam observat primogenitus suus. Si autem aliquis de exerciti-
 bus sic ordinatis moritur, statim alter loco ipsius locatur, <...>.

Una autem istarum partium est unum Manzy, quod sub se habet duo
 milia magnarum civitatum. Unde imperium magni canis est tam

58. turman] turmaß T: tuman W 59. numerus] 4 *add.* S, *cassatum* ~ et unus sar-
 racenus *om.* T 61. mensura *correxi:* misura S 71. vadit *restitui iuxta* T (*vert*) et W
 (*vadit*) ~ sella *conieci iuxta* T (*gesézz*): scala S 76. girifalcos *correxi iuxta* T (*greiffn*
valikchn) et W (*girifalcos*): grifalcos S 78. girifalcis *correxi iuxta* T et W (*cfr. supra*):
 grifalcis S ~ illas *correxi:* illis S 82. ordinatis] *moribus add.* S, *cassatum* ~ locatur]
 also daß <deß> gesindez nicht minner wirt mit der zal. Ez ist auch sein chaisertúm
 getailt in vier tail gelich *in* T

magnum quod, exceptis insulis, homo haberet satis ire in sex mensibus 85
per terram suam, in quacumque parte inchoaret, et forte non bene tran-
sire possit in <...> tempore. Insule autem sunt quinque milia que in
numero <non> ponuntur.

Et transeuntes per terram inveniunt sibi omnia necessaria per totum suum 90
regnum, quia ipse dominus ordinavit quasdam domos et curias et tabernas
in distantia ordinata, in quibus inveniuntur omnia necessaria humane vite.

XXVII. Et si quandoque insurgunt aliqua negotia ardua et periculo-
sa nimis, tunc nuntii ascendunt dromedarios, et cum appropinquant
tales domos, tunc sonant unum cornu ad cuius sonitum hospes facit
unum famulum velociter preparari. Et cum ille venit cum littera, ascen- 5
dit quietus dromedarium quietum velociter et accipit litteram primi. Et
sic dimisso primo in quiete, festinat versus hospitium confestim circa
quod ipse procedit sicut primus. Et sic continuant nuntii usque ad
imperatorem; et sic in uno die naturali portant nova per triginta dietas.

Pedites etiam habent suum modum <mittendi>, quia in istis hospitiiis 10
semper maneant aliqui ad hoc ordinati, qui currant tempore necessitatis.
Quando autem primus appropinquat alicui hospitiorum ordinatorum,
tunc pulsat quasdam nolas quas in cingulo portat. Quas dum audit aliquis
nuntius in domibus, statim se parat ad iter et, veniente primo, recipit lega-
tionem suam et currit vias suas, dimisso primo in refectioe. Et sic facit 15
secundus, tertius, quartus et sic deinceps usque ad imperatorem. Unde in
imperio suo nichil potest fieri quin statim vel valde cito percipiat.

XXVIII. Cum iste canis grandis vadit ad venandum servat hunc
modum: nam extra Cambalech ad viginti dietas est quoddam nemus
pulcherrimum, octo dietarum per circuitum, in quo tot sunt animalium

87. <...>] in tanto S ? 88. non *restitui iuxta* T (die darzue nicht sein gezelt) et W
(non) 90. quasdam *correx*: quasdis S

XXVII 1. ardua] *iterum* quandoque *add.* S, *quod seclusi* 3. facit] se *add.* S, *quod
seclusi* 9. mittendi *restitui iuxta* W (mittendi) 11. alicui *correx*: aliter S 12. tunc]
pusat *add.* S, *cassatum*

XXVIII 1. cum iste canis grandis *bis* S, *primum cassatum* 2. ad viginti dietas *om.* T
~ est *inter lineas* in S ~ nemus] est *add.* S, *cassatum* 3. animalium *correx*: animalia S

5 diversorum genera quod valde esset mirabile enarrare. Circa illud
 nemus sunt aliqui ordinati per magnum canem, qui ipsum custodiunt
 diligenter. In fine igitur trium vel quatuor annorum ad hoc nemus cum
 gente sua vadit, et circumdat totum nemus, et tunc permittit canes
 intrare et aves assuetas ad illud opus. Qui congregant omnes feras silve
 et expellunt extra nemus ad unam pulcherrimam planitiem, que est cir-
 10 ca medium nemoris, ubi congregatur silvestrium maxima moltitudo
 sicut leones, cervi et multa alia animalia varia et diversa, in tantum quod
 esset stupor enarrare. Et de clamore animalium et canum est sonitus
 ultra modum magnus. Et tunc imperator accedit et ascendit super uno
 elephante et mittit quinque sagittas in illas feras; et post hoc sua socie-
 15 tas facit similiter. Sagitte autem singulorum sunt signate, ita quod unus-
 quisque cognoscit suam. Quo facto imperator facit clamari 'Syon', ide-
 st misericordiam illis bestis, et tunc omnes bestie vive ad silvam rever-
 tuntur. Et cuncti barones colligunt interfectas, ita tamen quod unus-
 quisque tollit solum illam vel illas quas sua sagitta interfecit.

XXIX. Item iste imperator magnus quatuor magna festa <habet>, scilicet festum circumcissionis eiusque nativitatis diem et sic de reliquis. Ad hec autem festa convocantur omnes barones omnesque de sua parentela et histriones, qui omnes ordinate in festo ponuntur. Maxime
 5 tamen convocantur isti ad duo festa prima scilicet circumcissionis et nativitatis sue. Et in hoc festo accedunt barones cum coronis in capitibus suis, ipso imperatore in sua sede residente, sicut superius dictum est. Barones quoque diversimode sunt vestiti, quia aliqui de viridi sicut primi, secundi de rubeo, tertii de blauo et sunt amicti balteis aureis; et sic
 10 stantes silentium observant. Circa istos morantur histriones cum suis instrumentis.

6. nemus *bis* S, *cassatum* 8. assuetas *correx* iuxta W (*assuetas*): *assuetas* S 9. et] *vox addita et cassata in* S 10. silvestrium *correx*: *silvestriarum* S 13. magnus *correx*: *magus* S 14. feras *conieci iuxta* T (*dír*): *faro* S 15. signate *correx* iuxta T (*gezeichnet*) et W (*quelibet suum signum habet*): *sagitte* S 18. et] tunc *add.* S, *cassatum*
 XXIX 1. *habet restitui iuxta* T (*hat*) 5. ad duo festa prima *conieci*: *ad secunda festa primum* S

In unoquoque angulo huius palatii manent philosophi omnes attendentes suas certas horas et puncta. Cum autem adveniunt hora et punctum ab eis expectata, tunc unus clamat valenter dicens: «Omnes debetis inclinare domino imperatori nostro magno»; tunc omnes barones inclinant ter cum capite super terram. Et tunc idem clamat: «Surgite cuncti»; tunc omnes surgunt. Et iterum, certa eorum hora veniente, clamat dicens: «Ponite vobis digitum in auricula»; quod et faciunt. Et statim clamat: «Extrahite»; quod etiam complent. Et tunc stat per modicum tempus et clamat: «Buratate farinam»; et alia multa faciunt cum magna apud eos significatione. 15 20

Deinde stant officiales multi, inquirentes si aliquis se ab hoc festo absentaverit, quia si aliquis se absentaret magnam penam incurreret. Cum autem occurrerint hora et punctum histrionum, philosophi dicunt: «Facite festum domino»; tunc omnes incipiunt suas symphonias. Quando autem placet eis tunc dicunt: «Taceant omnes»; tunc omnes silent. 25

Post hoc statim illi de parentela sua sunt parati cum equis albis, et tunc clamat una vox dicens: «Talis de tali parentela sua tot centenarios <paret> equorum domino suo». Statimque sunt parati aliqui ducentes equos illos ante imperatorem. Unde incredibile est audire vel dicere de tot equis albis qui domino enzeniantur. Deinde sunt barones enzenia portantes de aliis baronibus. Omnes etiam de monasteriis principales ad ipsum accedunt cum enzeniis suis et suam benedictionem sibi dare tenentur. Hoc idem nos fratres minores facere tenemur. Hiis expeditis, accedunt ad ipsum imperatorem aliqui histriones et alique histrionatrices, et circa ipsum tam dulciter cantant quod est stupor. Deinde histriones faciunt venire leones, qui reverentiam faciunt imperatori. 30 35

XXX. Deinde aliqui histriones faciunt venire in aere ciphos aureos vino plenos ad ora singulorum bibere volentium; et sic de multis aliis

11. philosophi *correx*: philosophii S 13. expectata *correx*: esexpectant S 16. cuncti *correx*: cucti S 19. buratate *correx* *iuxta* T (swingt) et W (buratate): bursidate S, *qui f add.*, *cassatum* 27. centenarios] domino suo *add.* S, *expunctum* 28. paret *restitui iuxta* T (schenkchn) et W (paret) 32. et suam... tenentur *om.* T 34. histrionatrices *correx* *iuxta* W (ystrionatrices): ystrionatricas S 35. ipsum] d *add.* S, *cassatum*

5 iocunditatibus nimis magnis. Quia dicere magnitudinem istius domini
 magni et illa que in curia eius fiunt esset quoddam incredibile, nisi ali-
 quis oculis suis propriis vidisset. Habet etiam maximos thesauros, quia
 non est ibi moneta aliqua nisi de quibusdam cartis facta, et sic totus the-
 10 saurus ad dominum congregatur.

XXXI. Item aliud ibi ab incolis audivi, sed non vidi, quia dicitur
 quod in uno magno regno in quo sunt montes Caspii in quibus, ut dicitur,
 nascuntur pepones valde magni; qui quando sunt maturi aperuntur
 et intus inveniuntur una bestiola, ad modum unius agni parvi. Et quam-
 5 vis illud videtur incredibile, tamen est possibile, quia certum est quod in
 Hibernia in quibusdam arboribus nascuntur aves vive et volantes <...>.

XXXII. <D>e hac contrata recedens, ivi per quinquaginta dietas
 transeundo per multas terras et civitates inter orientem et occidentem
 <et> veni ad aliud regnum, cuius principalis civitas Casan nominatur.
 Et rex illius terre habet sub se multas alias civitates, sed ille in pacta ducit
 5 filiam magni canis in uxorem.

Deinde ivi per multas civitates et dietas, et veni ad unam provinciam
 que vocatur Casan; et hec est melior secunda provincia et melius inha-
 bitabilis quam aliqua hodie sit in mundo. Et in locis magis strictis habet
 latitudinem quinquaginta dietarum et <est> longa pluribus sexaginta.
 10 Hec terra est ita populosa quod, quando exitur porta unius civitatis,
 porte alterius civitatis viduntur. In hac est magna copia victualium,
 maxime autem castanearum. In hac quoque contrata nascitur reubarbarum,
 in tanta habundantia quod onus unius asini, idest quantum potest

XXX 3. magnis *correx*: maguis S 5. thesauros *correx*: therauros S 6. thesaurus
correx: theraurus S

XXXI 6. volantes] vnd wenn si nider vallent, chóment si auch auff daz wasser, so
 lebent si zehant vnd vliessnt, vallent si aber auff da land, so beleibnt si tod in T (*om.*
 W, *sed legitur in Hakluyt et ceteris recensionibus*)

XXXII 3. et *restitui iuxta* T (vnd) 4. ille] *iterum sed add. S, quod seclusi* 7. et² *cor-*
rex *iuxta* T (vnd) et W (et): in S 9. est *restitui iuxta* T (ist) 12. maxime] renbar-
 barum *add. S, cassatum* ~ reubarbarum *correx* *iuxta* T (reubarbarum) et W (reubar-
 barum): renbarbarum S

portare unus asinus, venditur pro minori quam pro sex grossis. Hec autem provincia est una de duodecim partibus imperii magni canis. 15

XXXIII. De hac provincia recedens, veni ad quoddam magnum regnum nomine Tyboth, quod ipsi Indie est confine et totum illud regnum est subiectum cani magno. Et in ipso est maior copia panis et vini quam forte sit in aliqua parte mundi. Gens istius contrate moratur in tentoriis factis ex fibris magnis, et tota civitas regni principalis est facta ex muris albis et nigris et omnes vie sunt optime pavimentate. In hac civitate nullus audet effundere sanguinem alicuius hominis vel alterius animalis, et hoc ad reverentiam cuiusdam ydoli quod ibi adoratur. In hac civitate moratur papa eorum, <...>, qui est caput omnium ydolatrarum illorum, quibus distribuit beneficia omnia que ipsi habent. In hoc regno sunt mulieres portantes plus quam centum triclas, habentes in ore duos dentes longos ad modum aprorum. 5 10

In hac etiam terra est consuetudo: cum pater alicuius moritur quem vult honorare, tunc convocat omnes amicos, parentes, sarracenos religiosos omnesque histriones de contrata, qui omnes deportant ipsum ad campum cum magno gaudio. Et ibi portatur mensa, supra qua amputant sibi caput, et presentant filio suo, qui cum tota sua societate canent ei multas orationes. Post hoc, sacerdotes totum corpus incidunt in frusta et deportant. <...> Hoc facto <alta voce> clamant omnes: «Ecce quam bonus homo iste fuit quia sanctus est; nam veniunt angeli Dei et portant ipsum in paradisum». Et tunc filius et omnes amici eius reputant se multum honoratos. Post hoc, filius statim accipit caput patris et coquit et comedit. Et de craneo facit unum ciphum, de quo ipse et omnes de domo sua bibunt cum devotione in memoriam defuncti. Et sic faciendo credunt se facere magnam reverentiam patri suo. 15 20 25

Multa etiam alia inconsueta fiunt ab hiis.

XXXIII 3. magno *correx*: magnus S 9. eorum] den haizznt si leobasann in ír sprach in T 11. portantes] s *add.* S, *cassatum* 18. frusta *correx* *iuxta* T (stukchn gar chlain) et W (frusta): frustra S 19. deportant] So choment dann von dem gepírg adelár vnd geyr vnd arn vnd semlich gevúgl, die fúernt die stukch hin in T ~ *alta voce restitui iuxta* T (mit lauter stim) et W (*alta voce*) 22. filius *bis* S, *primum cassatum*

XXXIV. <D>um autem essem in provincia Manzi, veni iuxta palatium cuiusdam popularis hominis, qui habuit quinquaginta puellas virgines sibi continue servientes, que cum vadit ad mensam portant ei quinquaginta fercula, tali modo quod semper quinque virgines portant quinque fercula cum magnis cantibus et symphoniis. Deinde veniunt alie, recedentibus primis, et faciunt sicut prime et sic de aliis et ponunt sibi cibum in buccam, sicut passeri, et cantant et musica tangunt instrumenta coram eo donec mensa durat. Et tali modo homo iste ditissimus existens ducit vitam suam super terram, quam diu est in vita sua.

Palatium autem ipsius tenet in ambitu duo miliaria. Cuius pavimentum habet unum laterem semper de auro et alium de argento. In curtinio autem istius palatii est factus unus monticulus de auro et argento, super quo facta sunt monasteria et campanilia pro delectatione, et dicitur quod quatuor tales homines rex Manzi habet in regno suo.

Nobilitas autem huius viri est longos habere unguis, et precipue pollicis. Pulchritudo autem mulierum est parvos habere pedes, unde matres ligant pedes filiarum ne recipiant incrementum.

XXXV. <D>e hiis contratis recedens veni ad quandam aliam terram que Ymlestorte nominatur, que est pulchra et multum fertilis. In hac contrata erat unus dominus, qui vocabatur 'senex de monte', qui inter duos montes huius contrate fecit unum murum qui circumdat montem. Infra istum murum erant pulchriores fontes de mundo, iuxta quas habitabant pulchriores domicelle virgines que usque poterant reperiri; et erant ibi equi pulcherrimi, et breviter loquendo ibi erant omnia que possunt haberi pro delectatione humana. Et hunc locum vocabant 'paradisum'. Et cum iuvenem valide dispositum invenit, in hoc paradiso locavit, et per quosdam conductus vinum et lac intus fluere ordinavit. Cum igitur voluit aliquem principem assasinare, tunc precepit qui-

XXXIV 4. quinque *correx*i iuxta T (ffúnff) et W (quinterna): decem S 5. quinque *correx*i iuxta T (ffúnff) et W (quinterna): decem S 10. duo *correx*i iuxta T (zwo) et W (duo): L S

XXXV 2. Ymlestorte] Jmlestore T: Millistorte W 6. reperiri S *P.C.*: reperire S *a.c.*
11. assasinare *correx*i: accessinare S

busdam, qui preerant paradiso, ut darent alicui apto somniferum, quod et faciebant et tunc ipsum sic dormientem extra paradisum illum exportabant. Qui postquam evigilavit et se extra paradisum fore sensit, in tantam devertit agoniam, quod quid faceret ignoravit. Hic tamen tandem ivit ad illum senem, rogando eum ut ipsum reponeret in paradisum. Qui respondit: «Nequaquam nisi michi prius interficias talem principem vel talem, et sive tunc moriaris sive non, tunc reponam te ad paradisum». Et iste tunc habet tantum desiderium et affectum redeundi ad paradisum, quod nichil reputat sibi difficile. Et sic iste senex consuevit multos interficere, ideoque omnes reges orientis timebant ipsum et sibi tributum magnum exhibebant. Cum autem Tartari ceperunt quasi totum mundum, venerunt etiam ad istum senem, cui finaliter dominium abstulerunt et tunc emisit multos de suis sicariis de paradiso, qui multos de istis tartaris interfecerunt. Hoc videntes, tartari venerunt ad civitatem ubi hic senex morabatur, et ipsam obsidentes non recesserunt donec ipsam finaliter habuerunt, et eum ceperunt et horrenda morte necaverunt.

XXXVI. In hac contrata omnipotens Deus fratribus minoribus hanc gratiam magnam concessit, quod in magna Tartaria ita leviter expellunt demones de obsessis sicut expellitur canis unus de una coquina. Multi quoque obsessorum ibi reperiuntur, qui ad longas distantias ad fratres nostros ligati transvehuntur, qui precipiunt eis in nomine Iesu Christi ut exeant et statim obediunt. Et tunc homines liberati statim baptizantur et ydola illorum cum cruce et aqua benedicta portant ad ignem et comburunt ea. Et tunc omnes de contrata sua veniunt ad videndum cremationem deorum suorum vicinorum. Sed quando fratres ponunt ydola ad ignem tunc frequenter exeunt et tunc nostri fratres spargunt aquam benedictam, et tunc demon fugit ab igne et tunc ydolum comburitur et tunc demon clamat in aere dicens: «Videas, videas quod de mea habitatione sum repulsus». Et sic multi per nostros fratres baptizantur.

12. alicui *conieci*: aliter S ~ somniferum *correx*: somifenum S 14. fore *dubitanter correxi*: forte S 18. sive¹ non bene legitur in S 25. hoc bis S, quod *seclusi*
XXXVI 12. mea *correx* iuxta T (meiner hérweg) et W (mea): una S

XXXVII. Item aliud valde incredibile vidi. Nam cum venissem quodam tempore super unam vallem sitam super flumen deliciarum, in illa valle vidi multa corpora mortua et audivi ibi diversa genera diversorum instrumentorum musicorum, maxime autem organa que ibi mirabiliter pulsabantur. Et tantus erat ibi sonitus quod michi timor incumbibat. Hec quoque vallis habet in longitudinem septem vel octo miliaria, in quam si aliquis infidelium ingreditur, statim moritur ibidem. Et quamquam ita esset, tamen ego audacter intravi ut viderem finaliter quid hoc esset. Et postquam intravi, tunc vidi ab uno latere eius in uno saxo unam faciem hominis terribilem ultra quam dici possit. Tunc in tantum fui attonitus, quod credebam michi mortem imminere. Unde continue hoc verbum «Verbum caro factum est» promebam. Ad ipsam autem faciem numquam fui <ausus> totaliter appropinquare, sed ab ipsa septem vel octo passibus distabam. Postea declinavi ad aliud caput vallis et ascendi super unum montem arenosum, in quo undique circumspiciens nichil videbam nisi illa organa que pulsari videbantur <mirabiliter>, et symphoniam audiebam. Cum autem perveni ad caput montis, reperi argentum in maxima quantitate, velud squamas piscium congregatas, de quo ad horam posui in gremio; et quia de ipso nichil curabam postea totum in terram proieci et sic, commendante Deo, illesus reversus de valle fui.

Quo facto, omnes sarraceni qui hoc viderant vel perceperant multum me reverebant, dicentes me esse baptizatum et sanctum. Illos autem qui erant mortui in illa valle dicebant <esse> homines demonis infernalis.

XXXVII 3. illa] valde *add.* S, *cassatum* 4. instrumentorum musicorum] pheiffen vnd rotten, paukchn vnd allerlay saitenspil, allez durich einander T: nachara W 5. pulsabantur *correx*i: pascebantur S 7. si *correx*i *iuxta* W (si): sic S 13. ausus *restitui iuxta* T (getárst) *et* W (ausus) 16. organa *correx*i: arcana S: die paukchen vnd orgeln, pheiffn vnd rotten vnd andrew saittenspil T: nachara W 17. mirabiliter *restitui iuxta* W: Jch sach aber <niemant>, der si nütz, vnd hwrt si doch wol T 18. caput *conieci iuxta* T (cze óbrist) *et* W (in capite): civitatem S 20. commendante *correx*i: commedente S 22. quo] *fac add.* S, *cassatum* 24. esse *restitui iuxta* T (wérn) *et* W (esse)

XXXVIII. Item superius unum obmisi de magno cane, quia consuetudo est in illis partibus quod, quando predictus dominus per aliquam contratam transit, tunc homines ante hostia domorum suarum faciunt ignem, et apponunt aromata et faciunt domino suo fumum redolentem; et multi homines obviam sibi vadunt. Cum autem semel veniret versus Cambalech, et de adventu suo certitudinaliter diceretur, unus noster episcopus et aliqui nostri fratres minores cum quibus tunc fui, ivimus sibi obviam bene per duas dietas. Et cum appropinquaremus ad eum aptavimus crucem nostram super lignum et reximus. Ego vero habebam in manu thuribulum quod mecum tuleram, et incepimus cantare alta voce dicentes: «Veni creator spiritus». Et dum sic cantaremus, ipse audivit voces nostras. Nos quoque vocari fecit ad eum, quia per nos accedere non audebamus, quia nulli licet accedere ad iactum unius lapidis nisi sit vocatus, exceptis custodibus. Et cum fuimus ante eum cum cruce elevata, ipse statim deposuit galerum, qui fuit inestimabilis valoris, et fecit reverentiam ipsi cruci. Statimque ego imposui incensum ad thuribulum, quod episcopus accepit de manu mea et thurificavit ipsum. Sed quia consuetum est dicere secundum proverbium antiquum: «Non apparebis in conspectu meo vacuus manibus», quod observant incole regni illius quando accedunt regem, unde nos apportavimus nobiscum aliqua poma optima et pulcherrima, que obtulimus sibi in quodam incisorio reverenter, de quibus accepit unum et aliquantulum de eo comedit. Et postea episcopus noster benedictionem sibi impendit et, hoc facto, nos indulsit ut recederemus, ne multitudo post ipsum veniens nos in aliquo offenderet. Unde statim ab ipso recessimus et venimus ad aliquos suos barones per fratres nostros conversos ad fidem Domini nostri Iesu Christi, qui in exercitu eius erant, et obtulimus eisdem de predictis pomis. Qui ipsa receperunt multum lete et gratanter, tamquam si maximum munus obtulissemus eis.

XXXVIII 1. item... cane] Ez ist auch ze merkchn T: unum referam de magno cane quod vidi W 5. veniret *correx*: veniet S 6. unus noster episcopus *om.* T 11. spiritus] et cetera *add.* S, *quod seclusi* 15. elevata *correx*: elevato S 18. proverbium S *p.c.*: proveribium S *a.c.* 19. apparebis *correx*: appaebis S 29. eis] et cetera *add.* S, *quod seclusi*

5 <C>um igitur ego frater Udalricus omnes has partes predictas per-
lustrassem et multa mirabilia et difficulter credibilia vidissem, de quibus
perpauca scripsi in opusculo presenti, ex mandato mei superioris postea
ad partes meas tamen reversus, modo tamen de die in diem dispono me
ad vertendum ad partes illas, in quibus dispono vivere et mori quando
placebit illi a quo cuncta bona incipiunt.

5 <P>redicta autem fideliter frater Guilhelmus de Solagna in scriptis
redegit sicut predictus frater Udalricus <ore proprio> exprimebat Anno
Domini millesimo trecentesimo tricesimo, in Mense Maii, Padue in
loco sancti Antonii apud fratres minores. Et non curavit de latino diffi-
cili et ornato sed sicut ille, scilicet frater Udalricus, narravit sic iste scri-
bebat.

10 <S>upradictus autem frater Udalricus postea de hoc seculo transivit
ad Dominum in conventu Utini, Anno Domini millesimo trecentesi-
mo tricesimo primo, quatuordecimo die mensis Ianuarii; qui post mor-
tem multis et magnis miraculis choruscavit.

2. ore proprio *restitui iuxta* T (mein selbß mund) *et* W (ore proprio)